

et uti hodie docetur in Catechismo his verbis :
« V. mandatum Sanctae Matris Ecclesiae: solvere decimas et primitias: » quod generatim fieri laudabili consuetudine fidelium laeti videmus.

§ III.

De oblationibus.

Oblationes omnes ad triplicem classem possunt referri :

1. – Donatio inter vivos, facta Deo et Ecclesiae.
2. – Donatio facta per testamentum pro animae suffragio, vel aliis piis operibus.
3. – Usualis dicta pecuniae vel rei cuiuslibet (uti cereae, vini, olei, etc.) sive in Ecclesia ad altare, sive ad ianuam, sive ad imagines Sanctorum, sive etiam extra illam quacumque sub forma, facta sacerdotibus, vel pro ipsis, vel pro Ecclesia, vel obiecto aut fine sacro, uti stipendia, etc.

Oblationes inde ab origine mundi usitatae (Gen. iv). Obtulit Cain de fructibus terrae munera Domino, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis et de adipibus eorum. Item (Genes. vi) « Noe... tollens de cunctis pecoribus et volucris mundis obtulit super altare. » (Num. vii). « Obtulerunt principes Israel et capita familiarum... munera coram Domino. » Et similiter in Novo Testamento (Matth. ii) « Obtulerunt ei aurum, thus et myrrham. » Ita deinde legimus in Actis Apostolorum quomodo christiani vendebant substantias et pretium offerebant Apostolis, et in epistolis B. Pauli saepius fit mentio collectionum quas per varias civitates offerebant fideles in ecclesiis.

Iam vero oblationes, utpote voluntariae natura sua

generatim non possunt imponi. Ubi tamen aliis ex redditibus Ecclesia non habet subsidia congrua pro cultu divino et ministrorum sustentatione, pro seminariis, scholis et ceteris necessitatibus, pro viduis et aliis pauperibus, orphanis, infirmis, etc., unusquisque fidelium pro viribus suis, uti iam supra notatum est, *in conscientia* ferre auxilium Ecclesiae tenetur.

Quamvis autem sub Gubernio Hispanico abolita fuerit obligatio solvendi decimas personales (Recop. Iur. Ind. L. I, Tit. xvi, lege 20) cuilibet consideranti hoc factum non fuisse, nisi in forma iuridica et legali, tum civili tum canonica, et sub regibus catholicis, qui omni modo protegebant et subsidiis iuvabant Ecclesiam, statim patebit, quantopere aequum et iustum sit nostris temporibus, cum Ecclesiae ablata sunt bona cuncta immobilia et insuper ius nova acquirendi, reviscat etiam pro fidelibus obligatio conscientiae, subsidiis suis iuvandi Matrem suam Ecclesiam, quibus aliquo modo compensatio fiat pro decimis personalibus, quae olim solvebantur, ut ab iis etiam, qui non ex cultura et fructibus agrorum vivunt decimae ac primitiae debite solvantur pro Ecclesiae necessitatibus iuxta conscientiam et aequa proportione contribuant pro iisdem. Una enim et eadem eiusdem Matris filios omnes obligatio iuris naturalis et divini et idem amor movere debet, ut Matris sustentationi et decori subveniant. Haec est doctrina probata litteris nuperrime datis (die 25 Aug. 1887), a S. Poenitentiaria ad Episcopos Italiae: « Id ius a Deo in Ecclesiam collatum est, quo et cultui Divinitati debito, et suorum Ministrorum sustentationi et caritatis demum operibus tutius stabiliusque consulere possit. Imo etiam ad hunc finem assequendum potest auctoritate propria eas fidelibus, quas

ipsa necessarias iudicaverit, pecuniarias indictiones imponere. (Acta S. Sedis, Tom. xx, p. 205).

§ IV.

De iuribus stolae seu parochialibus.

Sub hoc nomine computari debent, ea omnia, quae ut videtur primum ex consuetudine tantum, dein ex praescriptione inde orta, praesertim, ubi ex alio fonte necessaria pro congrua sustentatione deficiunt, generatim solvuntur parochis et eorum substitutis, occasione administrationis quorundam sacramentorum et sacramentalium.

Primo loco, certum omnino est lege ecclesiastica absolute prohiberi, pro administratione proprie dicta cuiuslibet sacramenti quidquam vel exigi vel recipi posse, ne incurratur simonia: sufficit recordari decretum absolutae prohibitionis latum a Concilio III Mexicano (L. I, Tit. v, § 1). Verum occasione administrationis sumptus varii occurrunt faciendi v. gr. pro pensionem Notarii, Sacristiae, pro libris et aliis rebus necessariis. Hinc, ubi aliunde Ecclesia non habet, ut iis provideatur, non improbat praxis qua aliqua taxa exigitur, cum confertur baptismum, benedicitur matrimonio, datur sepultura mortuo, etc.; ita tamen ut a vere pauperibus nihil prorsus petatur. Et valde dolendum esset, si quia nihil tribuunt (ut subinde factum esse non potest negari) a sacerdote vel indirecte daretur occasio aut praetextus pauperibus differendi baptismum vel matrimonium; unde gravissima et plurima incommoda et scandala possunt oriri. Ita etiam a vere pauperibus nihil exigere debet ratione sepulturae et benedictionis cadaveris. Ast alia est ratio quoad illos

qui solvere possunt, eo vel magis si sunt divites; praesertim si extraordinaria quaelibet fieri postulant in ornatu Ecclesiae vel Altaris, in copia candelabrorum cereorumque, musicorum et cantorum, etc., et exigant pompam in deductione cadaveris et similibus; prorsus iustum est, ut etiam pro hisce omnibus solvant, et insuper compensent laborem Parochi et cleri, sacristae, etc. Hinc iure merito, sicuti etiam factum fuit in tribus Conciliis Mexicanis, in qualibet Dioecesi taxa iuxta loci consuetudines statuitur. Similiter pro rata legitima consuetudinis, Parochus accipere potest elemosynas mulierum post partum ad Ecclesiam accedentium, et ob recitationem responsorii pro defuncto, praesertim die commemorationis omnium defunctorum, etc. Procurandum tamen omnino ut omnis species avaritiae evitetur in hisce, ad avertendum scandalum fidelium et acatholicorum. Omnino autem prohibitum est parochi aut cuilibet alio confessario, quocumque sub praetextu, aliquid exigere pro audienda confessione, sive infirmi aut moribundi, sive aliorum quorumlibet.

Collectio eleemosynarum vel ad ianuam Ecclesiae vel intra illam, sive per sacerdotem qui curam eiusdem habet, sive per clericum aut laicum ab illo deputatum, prorsus licita, imo hodie omnino necessaria est, cum foras a lege civili prohibeatur.

Attamen reprobanda videtur praxis non paucis in locis inducta, ut intra ianuam Ecclesiae vendantur rosaria, scapularia, imagines, libri, etc. Sane Dominus Noster Iesus Christus, facto flagello de funiculis, ementes et vendentes eiecit e Templo, oves quoque et boves, et nummulariorum effudit aes, et mensas evertit. (S. Matth. XXI, 12. — Marc. XI, 15. — Luc. XIX, 45. — Io. II, 14).

Ceterum cum ipsa Constitutio Reipublicae, anno 1857 (art. 5. Tit. 1, Sect. 1). expresse declaret « neminem posse obligari ad praestanda servitia personalia, nisi ex libero consensu, et iusta retributione accepta: » cumque lex lata die 12 Iulii 1850, art. 4, expresse dicat « ministros cultus pro sacramentorum administratione et aliis functionibus sui ministerii posse recipere oblationes ipsis factas, aut etiam pactum inire de retributione recipienda cum personis, qui ipsorum ministerio utuntur; » patet ministros Ecclesiae etiam legaliter exigere sibi debita posse.

DECRETA

Iuxta principia superius enunciata et iuxta doctrinam Ecclesiae et S. Trid. Conc. et Synodi III Ecclesiae Mexicanae decreta; nos quoque huius Synodi Antequerensis Patres haec statuimus:

1. – Manet pro singulis huius Provinciae dioecibus obligatio stricta solvendi integre decimas et primitias de fructibus agrorum, sub poena excommunicationis ferendae sententiae statuta a S. Conc. Trid. contra eos, qui huic obligationi non satisfecerint.

Insuper advertitur: nemini licere, idque sub eadem poena excommunicationis a Conc. Trid. statutae, impugnare obligationem decimas solvendi, sive verbo, sive scripto, aut quocumque modo, aliquem a solutione earumdem impedire. Valeat autem istud decretum pro omnibus et singulis huius Provinciae dioecibus; quidquid contra illud ante plures annos in earum aliqua factum perhibeatur absque Romani Pontificis approbatione.

2. – Sciant omnes neminem, nec ipsum Episcopum

ab hac obligatione posse absolvere, ne in hora mortis quidem, nisi facta in modo, et in quantitate possibili restitutione debita.

3. – Sciant etiam omnes obligationem, ab antiquo existentem, de solvendis decimis cerealium, etc., eodem modo valere pro his agrorum fructibus, qui recentiori tempore coli coeperunt; uti agave textile *henechen*, etc.

4. – Episcopi et Parochi admoneant fideles, quod qui ad decimas et primitias solvendas non tenentur, tamen ex his quae sive negotiatione et industria, sive pensionibus, vel aliis quibuscumque percipiunt, iuxta facultates suas, et iuxta requisita temporis et loci, contribuere debent pro sublevandis Ecclesiae necessitatibus.

5. – Ut, quanto fieri licet, saltem minuatur rigor canonis de decimis solvendis, consideratis temporis praesentis difficultatibus, in gratiam eorum qui solvere tenentur: huius Provinciae Episcopi curabunt obtinere etiam in posterum a Sancta Sede facultatem, qua ad tempus fruuntur, ineundae conventionis pro nondum solutis, et admittendi summam in tempus unius aut plurium annorum definiendam, (vulgo *iguala* dictam), pro deinceps solvendis, quandocumque iustum et aequum in conscientia visum fuerit, hunc favorem concedere iis, qui super hac re ad Ordinarium recursum fecerint.

6. – Circa primitias in unaquaque dioecesi conserventur usus legitime vigentes.

7. – Modificata iam antiqua legislatione, et omnibus civibus subiectis iisdem oneribus, lex decimarum et primitiarum, aborigines aequè obligat ac eos qui ex sanguine mixto, et eos qui ex sanguine europeo, progenti sunt.

8. — Iura stolae, donec aliter fuerit statutum, in singulis dioecesibus iuxta consuetudinem praesentem permaneant. Uniuscuiusque autem Episcopi erit pro sua Dioecesi statuere taxationes pro variis ministeriis, quorum catalogus affigatur in notaria Paroeciae, ut omnes illam inspicere valeant, et litigia omnia vitentur. Sit autem taxatio ratione conditionis fidelium qui vel pauperes sunt, vel sortis mediocris, vel divites, determinando quaenam sint iura parochialia et quaenam pertineant ad obventiones manuales.

9. — Curent autem Parochi fideles identidem instruere circa obligationem leges hasce Ecclesiae observandi: imprimis autem omnes edocere illam obligationem ex ipso iure naturali, adeoque ex voluntate Dei provenire.

10. — Curam autem non minorem habeant, vitandi omnem vel speciem avaritiae, et ea omnia quae ministerium suum odiosum reddere possent.

11. — Oblationes mere voluntariae, factae, sive in ecclesia parochiali, sive in aliis ecclesiis aut sacellis, impendantur iuxta intentiones offerentium. Si vero de nulla particulari intentione constat, distributio fiat pro arbitrio prudenti Ordinarii Dioecesis. Administratio vero pertineat ad parochum nisi alia ecclesia aut sacellum habeat proprium administratorem, qui etiam laicus esse poterit, sed approbatus ab ipso Ordinario, cui etiam ratio de administratione reddi debet.

B) — *De bonis immobilibus seu aedificiis.*

Ierosolymis in Coenaculo prima fuit Ecclesia: ibi Christus Dominus Sacramentum instituit: ibi Apostolos Sacramentorum ministros ordinavit: ibi super eosdem Spiritus Sanctus descendit.

Romae et alibi in nonnullis locis, conventus fidelium in catacumbis notissimi: constat insuper tum Romae tum alibi multis in locis per omnes provincias, Christianos habuisse domos et aedificia pro cultu exercendo.

Sic Romae factum est in domo (ubi S. Petrus degebat) Prudentis senatoris, cuius sella curulis in cathedram Pontificiam transformata fuit, et hodie in Basilica S. Petri collocata; Christifideles item excipiebat domus S. Clementis; item S. Caeciliae Virg. domus in templum consecrata, uti in actis martyrii eius legitur. Alexander Severus decretum edidit, prohibens destruere ecclesias, id est, locum in quo fideles congregabantur: contra, Diocletianus in ultima persecutione mandavit ecclesias a fundamentis destruere. A conversione Imperatoris Constantini ubique publicae ecclesiae aedificatae fuere: ipse in suo Lateranensi palatio ecclesiam Salvatori dicavit, item basilicas sumptuosissimas S. Petri in Vaticano, et S. Pauli in via Ostiensi. SS. XII Apostolorum et alias variis in locis per totum imperium; et imprimis tunc cultui dicatae fuerunt plures basilicae (vel iam existentes tamquam aulae iudiciariae vel iuxta harum exemplar aedificatae) propter formam congregationibus fidelium et celebrationi mysteriorum adeo convenientem. Dein tamen hoc nomine non solum templa in hunc modum aedificata, sed etiam alia extra urbem honoris causa insignita fuere.

§ I.

De Ecclesia Cathedrali.

Cathedralis Ecclesia ita vocata a Cathedra, i. e. Sede Episcopi in eadem collocata, primum certe locum

inter omnes obtinet. Et quidem inde a tempore Apostolorum, prouti sufficiens, gentilium conversione, fidelium numerus permittebat, in singulis civitatibus, saltem maioribus, constituebatur Episcopus; ipse unus erat pastor fidelium: ad ipsum Dominicis et festis diebus tota fidelium multitudo concurrebat ut sacramenta reciperent et interessent liturgiae, quam ipse solus celebrare solebat, assistente toto clero, h. e. praesentibus ut plurimum duodecim presbyteris, diaconis septem. Hisce constabat presbyterium ecclesiae; hi consilarii et veluti senatus Episcopi; hi ipsum adiuvant in administratione sacramentorum, in instruendis et gubernandis fidelibus, in administrandis ecclesiae bonis; ipso absente aut mortuo, donec successor nominaretur, eius locum supplebant.

Ex membris presbyterii, vel aliis etiam sacerdotibus, subinde ad alia loca, sive intra, sive extra civitatem, pro necessitate fidelium, mittebantur ad praedicandum, sive administranda sacramenta. Prioribus autem tribus saeculis vix ullus titularis videtur assignatus fuisse sacerdos tamquam parochus, cuicumque templo extra cathedralem, i. e. Ecclesiam Episcopi. Paulatim quidem a saeculo III et deinceps per pagos et oppidula inveniuntur sacerdotes permanentes residentes; in civitate, Episcopi residentia, ante saeculum decimum (si Romam et Alexandriam exceperis) nulla horum fit mentio, unicus scilicet parochus erat Episcopus, solus habens ordinariam per totam Dioecesim iurisdictionem.

Successu temporis, crescente iam ubique numero fidelium parochi quidem per singula loca fuere constituti sub regimine tamen Episcopi, a quo solo omnis iurisdictio procedebat, excepto tantum quando Romanus

Pontifex alicui eam communicabat, uti nuntiis, aut legatis, aut specialem exemptionem statuebat in favorem monachorum aut religiosorum. Presbyterium aut cathedralis ecclesia post varias transformationes eam formam induit, quam hodierna habent Capitula Canonorum, substantialiter primam institutionem conservando, ut sint nimirum consilarii Episcopi, eiusque in administratione adiutores; ac imprimis curam habeant cultus divini in Ecclesia Cathedrali.

Cathedralis Ecclesia igitur venerabilis est origine et dignitate prae ceteris omnibus ecclesiis; proin iure eiusdem curam et splendorem Episcopis commendat Synodus Tridentina, et statuit ut ex redditibus Dioecesis necessaria eius conservationi et cultui dedificentur. Hinc quarta pars decimarum ut plurimum tribuitur capitulo et canonicis, et ex reliquis, pro iudicio Episcopi, necessaria pro cultu cathedralis desumuntur.

Ad reparationem Ecclesiae Cathedralis tenentur Episcopus, Canonici, clerus Dioecesis et fideles. Notum est, quoad ipsa aedificia cathedralium attinet, omni tempore et ubique locorum tum Pastorum tum fidelium studium fuisse, ut talia essent quae fidei testimonium praeberent, et quantum humanis mediis attingi potest, aliquo modo digna forent ut offerrentur divinae Maiestati et omni magnificentia in iis cultus celebraretur. Exemplum in veteri testamento habemus in Templo Salomonis. Hinc mirum non est etiam in Ecclesia Novi Testamenti artes cunctas humanas ornatui templorum, cathedralium imprimis, dicatas fuisse; et Ecclesiae mentem esse ut sub hoc respectu nihil omittatur, quod pro locorum et templorum conditione fieri possit.

In Concilio Mexicano III statutum fuit, ut omnes provinciae cathedrales iisdem uterentur consuetudinibus

et iuribus, ac ipsa Mexicana Metropolis. Hoc etiam sequitur ex Bulla (die 23 Iul. 1891) de erectione novarum Sedium, quae incipit *Illud imprimis* quoad res, iura et personas ecclesiasticas, de quibus nulla in praesentibus litteris expressa mentio facta est, « *ea rata omnino et firma prout antea remanent* ».

Statuimus proinde:

1. — Episcopum esse ad quem spectat ordinare ea omnia quae respiciunt constructionem, conservationem, restaurationem, et modificationem fabricae Cathedralis, habito consilio vel consensu Capituli, iuxta sanctiones iuris communis et legitimarum consuetudinum.

2. — Altare maius cathedralis, utpote altare Episcopi, prae ceteris omnibus emineat, sicut dignitate, etiam forma et magnificentia, quantum fieri potest.

3. — In Cathedrali, in signum iurisdictionis Episcopalis, semper habeatur thronus in forma Romana quadrilunga, iuxta altare ex parte Evangelii; dein sedes in choro media inter canonicos; item sedes in aula capitulari. Sede vacante amoveatur thronus in signum viduitatis, et cooperiantur panno violaceo sedes in choro et in aula capitulari.

§ II.

De aliis Ecclesiis.

Inter ceteras primo loco dignitate absque dubio venit ecclesia parochialis, cui praeest ipse parochus loci, variis etiam iuribus et privilegiis distincta prae ceteris ecclesiis aut sacellis intra limites paroeciae.

Ubi habetur causa legitima, aut evidens utilitas, potest Episcopus auctoritate sibi attributa a Conc. Trid. (Sess. XXI, c. 4 *De reform.*) auditis tamen quorum interest, parochiam dividere et novam parochiam constituere, etiam invito parochi. Alias intra Parochiam aedificare ecclesias sive sacella publica non licet nisi de auctoritate Episcopi. Pro reparanda ecclesia corruente standum est speciali loci consuetudini; et de cetero recurrendum in praesenti ad eleemosynas fidelium. Ordinarie tamen, nisi in casu urgente, reparationis opus, et a fortiori novae constructiones suscipi non debent, nisi consulto et consentiente Episcopo. Administratio proventuum et oblationum in ecclesia parochiali ad Parochum pertinet. Similiter ecclesiarum et sacellorum intra parochiam, nisi proprium Capellanum vel Administratorem habeant, ad normam infra tradendam.

Considerantes, quae supra enuntiantur, statuimus sequentia:

1. — Parochus commendatam sibi praecipue intelligat integritatem ecclesiae parochialis: curet proinde ut in bono statu conserventur parietes et tecta, quae subinde, saltem singulis annis examinari debent, ut reparationes debitae non differantur.

2. — Ubi agitur de erectione ecclesiae novae, quantum loci dispositio permittit, curet parochus delineationem ita fieri, ut altare maius respiciat orientem, ingressus principalis ecclesiae occidentem: ita ut sacerdos celebret facie versa ad Calvarium ubi Christus se obtulit pro mundi salute, et etiam, uti S. Isidorus advertit respiciat in Oriente Paradisum unde eiecti sumus.

3. — Ne permittat ut in fornicibus aut tecto ec-

clesiae aut sacelli fiant ambulacra aut cubicula, neque stabulum ad parietes, aut alia quaecumque minus conveniens reverentiae loco sacro debita.

4. – Uti Cathedralis prae omnibus Dioecesis ecclesiis est honoranda, et decoranda splendore convenienti, similiter prae caeteris loci ecclesiis et sacellis promovendus decor ecclesiae parochialis, tum aspectu externo, tum in celebratione cultus.

5. – In restaurandis ecclesiis, sacellis, altaribus mutandis, etc. cura summa habeatur nihil destruendi, quod antiquitate saltem meretur conservari: et certe nihil in hisce fiat nisi consulto et venia impetrata ab Episcopo.

6. – Specialis cura habeatur baptisterii, nec quidquam illic desit ex necessariis, et summa munditia et decencia conservetur.

7. – Invigilet etiam Parochus per se, aut per alios saltem, ne sacristae, acolythi, etc. negligenter tractent et destruant tabulas pictas, statuas glyptica, etc.

§ III.

De residentia Episcopi et Parochorum.

Sub isto nomine non agitur de praesentia personali Episcopi in sua Dioecesi, Parochi in sua Parochia, in antiquis canonibus iam praescripta, sed notandum venit quid de iure constitutum sit circa locum ipsum et domum, in qua sedem habet Episcopus et Parochus residentiam. Quoad iam spectat ipsum Episcopum, per se patet, materialiter eum satisfacere praecepto, dummodo intra fines dioeceseos, in quocumque demum loco resideat: ordinariam autem residentiam esse prope Cathedralis.

Sed, si ex una parte in dioecesi residere obligatur Episcopus, ex altera non minus sequitur obligatio fidelibus providendi ei residentiam, id est domum episcopalem convenientem: ideoque ius habet Episcopus ex redditibus ecclesiae sumendi necessaria, et si non adessent, imponendi clero et populo obligationem, ut illi provideant de habitatione decenti; et ubi iam adsit, illam necessariis instruendi, ac ubi opus fuerit restaurandi et renovandi.

Ceterum generatim huic obligationi minime defuerunt fideles, passim per dioeceses iuxta cathedrales et parochiales ecclesias, commodas, magnificas subinde, habitationes pro Episcopo et parochis construendo: et hoc iam ab antiquissimis temporibus, uti constat ex decreto Imperatoris Aureliani (anno 269) contra Paulum Samosatenum intrusum, domum episcopalem adiudicantem illi, qui a Romano Pontifice fuisset institutus.

Quod de Episcopi residentia dictum est, etiam valet quoad parochum. Ille habitare debet prope ecclesiam parochialem ut illam custodiat, in eaque sacramenta administret, etc. Convenit ut habitet in loco quam maxime centrali et commodo fidelibus. Si ad plures villas vel pagos extenditur parochia visitare subinde singulos tenetur, et aliquo tempore pro rerum adiunctis in illis residere. Ordinariam tamen habitationem permutare non debet nisi de consensu Episcopi. Fideles autem obligationem habent, ut convenientem domum ipsi provideant; vel ubi talem iam habet, eum adiuvent in illa instruenda, reparanda et renovanda, in quantum redditus parochiae non sufficerent.